

preparationem, seu præluforiam ceremoniam ad Ordines suscipiendos ab Ecclesia institutam concors est omnium Theologorum sententia. In electione suorum Ministrorum Ecclesia in tribus prioribus sæculis maxime satagebat, ut hi, qui moribus, & doctrina cæteris eminebant, præferrentur Ecclesiis, & in sacris eorum Ordinationibus, & Electionibus necessarium esse judicabat plebis Christianæ circa vitam, & mores cuiuslibet ordinandi, vel eligendi Ministri testimonium, & consensum vel prævium, vel concomitantem, vel subsequenter. Prævium quidem, cum desiderio suum de alicujus Clerici ordinatione, vel electione plebs Christiana significabat: Concomitantem, cum electioni præsens erat plebs Christiana, & suffragabatur: Subsequentem, cum Episcopum ad se directum maxima veneratione, gratoque animo excipiebat. Episcopi, qui Presbyteris Superiores erant, ab aliis Episcopis per manuum impositionem inaugurabantur. Presbyteri vero per impositionem manuum Episcopi & Cleri consecrabantur. Episcopi & Metropolita instituti sunt ad normam, & partitionem veteris Imperii Romani. At enim, ut apposite observat doctissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis lib. 4. de Concord. Sacerd. & Imperii cap. 1. §. 31. Cum in Imperio Provinciæ contribuatæ essent cuidam Civitati primaria, quæ Metropolis dicebatur, apud quam Magistratus subditorum causas judicabant, & quo propterea Populi frequentius conveniebant, quod singulari quodam jure Civitates a Matrice penderent; Apostoli iidem Episcopos in Civitatibus constituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Episcopo in Metropoli, sive Urbe primaria. In tribus autem majoribus Imperii Romani Civitatibus, videlicet Romæ, Alexandria, & Antiochiæ instituta sunt tres potissimæ dignitates Ecclesiæ, & præcipuæ Sedes Patriarchicæ, quæ sicut amplissima jurisdictione, ita & maximis privilegiis erant condecoratæ. Ecclesia tamen Romana omnium aliarum mater, a S. Petro fundata principem locum, seu Primatum ex jure divino semper obtinuit, illiusque Episcopus tamquam Vicarius Christi, caput visibile Universalis Ecclesiæ, Doctor, & Pastor omnium fidelium suam in tota Ecclesia jurisdictionem exercuit; ab aliis Orbis Christiani Episcopis sæpius consulebatur, ejusque responsa tum in doctrina, tum in disciplina maxima cum veneratione excipiebantur. Conciliorum Generalium definitionibus, velut certissimis fidei regulis primi Christiani obtemperabant; & illis, qui lata excommunicationis sententia e gremio Ecclesiæ erant expulsi, nullum ad salutem æternam aditum patere posse constanter affirmabant. Presbyteri non habitu, ac veste, sed vitæ meritis, ac sanctimonia a Laicis discernantur. Gratis administrabant Sacramenta, nec Decimas exigebant, sed illis perinde ac Episcopis ad vitam honeste sustentandam populus bona suppeditabat, quorum administratio erat penes Episcopum. Oblationes, quæ fiebant, in usum pauperum cedebant. Pastores in suis obeundis muniis vigilantissimi erant, & a grege sibi

commissio, non nisi ægre, ac summa urgente necessitate divelli se patiebantur. Translationum Episcoporum ab una ad aliam Ecclesiam pinguioris captandi beneficii, vel ambitionis fovendæ causa, ne minimum quidem in tribus primis Ecclesiæ sæculis apparet vestigium. Presbyteris in Ecclesia Græca licitum erat uxores, cum quibus ante ordinationem inierant matrimonium, retinere; sed post ordinationem nuptiæ erant ipsis prohibita. Matrimonia coram Presbyteris celebrabantur. Quamvis Monachorum institutum in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis necdum cœpisset, non deerant tamen inter Christianos cum mulieres, tum viri, qui sive in Civitatibus, sive in solitudine ab omni hominum societate secreta vitam cœlibem degerent, a terrenis curis expeditam, & soli Deo mancipatam. Fuerunt etiam in tertio Ecclesiæ sæculo multæ puellæ, quæ Mundo nuncium plane remittentes perpetuæ virginitatis votum Deo nuncuparunt. Legem abstinentiæ a suffocato, a sanguine, & ab Idololatriis, necnon ante-Paschale jejuniæ, quod, juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, erat quadraginta dierum ac vespere tantummodo solvebatur, primi Christiani summa religione observabant. Quarta, & sexta feria, seu diebus Mercurii, & Veneris, fieri solebant Stationes, quibus annexum erat antiquitus jejuniæ, non publica quidem lege Ecclesiis omnibus indictum, sed communi Fidelium usu, ac pietate frequentatum. Stationis autem nomine intelligitur Religiosum Christianorum officium, quo certis diebus ad Martyrum sepulchra convenientes, atque ibi statim ab exortu Solis orationibus, hortamentis, sacrarum lectionum interpretationibus vacantes, & jejuni ad horam usque nonam persistabant. Hora autem nona post Eucharistiam & pacis oscula, conventus, & jejunia solvebant. Diebus Dominicis, & a Paschate usque ad Pentecosten a jejuniis primi Christiani omnino abstinebant. Corpora defunctorum non comburebant, sed humo injecta contegebant. Hæc sunt præcipua veteris disciplinae capita, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis fuerunt a Christianis accurate observata (a).

(a) In recensendis ritibus Christianorum, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Christiano nomine vivebant, consulto vir iste doctissimus præterit ritus, & preces, quibus Sacerdotes sacris operabantur, neque enim ex idoneo satis testimonio resciri id posse fateor. Celebris est quidem Sancti Gregorii Magni opinio censentis sola recitatione orationis Dominicæ, adjectis verbis consecrationis, liturgiam a primævis illis Fidelibus perfici consuevisse. Vix mihi tamen persuaderetur res tanta simplici adeo ritu confecta fuisse. Profecto in conferendo Baptismate ritus, & quidem plures, ac mysticos adhibitos testis est Tertullianus. Numquid Eucharistia minor erat, ac inferior Baptismo? S. Justinus Martyr, in Eucharistiæ consecratione preces adjunctas perhibet. Ex quibus evinci posset, jam tunc statim aliquam Liturgiam extitisse; ac sane extitisse oporteret, si quæ vulgaræ sunt sub Apostolorum nomine sinceræ haberentur. Quamquam

quam vero, quæ sub Petri, & Marci nomine extant ab eruditis nunc falsi arguantur; non ita tamen inter omnes constat de Liturgia S. Jacobi, quam vetustissimam esse plerique fatentur. Scio equidem nonnulla in illa legi, quæ ætatem Apostolis inferiorem præferunt. Sed hæc addi sequentibus sæculis potuerunt, uti recentiori etiam ætate nonnulla addita Liturgiis Pelagii, & S. Gregorii ultro omnes recognoscunt. Cur igitur & successu temporis accidere hoc pariter Liturgiæ S. Jacobi non potuit?

D. Multa paucis complexus es, totamque disciplinam Ecclesiæ, quæ tribus primis sæculis viguit, delibasti, ac dilucide explanasti. Nunc superest, antequam Colloquio nostro finem imponamus, ut Doctrinæ moralis, quam primitiva tenuit Ecclesia, ac primorum Christianorum vitæ brevem hic descriptionem exhibeas.

M. Christiana Religio, sicut in doctrina sibi a Christo Domino tradita, ita & in disciplina morali, quam sacrum præscribit Evangelium, omnino invariabilis est, nec vicissitudine temporum, aut varietate locorum mutari unquam potest. Hinc, quamvis omni ævo nonnulli fuerint Christiani, qui vitis indulgentes, mores suos ad normam Evangelii exigere non multum curaverint, nullus tamen inter illos in tota retro antiquitate temporum repertus est (si paucos excipias hæreticos, qui falso Christianorum nomine censentur) qui eo temeritatis proruperit, ut sanctissimas Evangelicæ Moralis regulas convellere, aut labefactare præsumperit. Nulla igitur unquam in Ecclesia circa Ethices Christianæ doctrinam orta est contentio, sed ea potius præcipua primorum Christianorum cura fuit, ac sollicitudo, ut vitam Christi, in quo uno insunt bene ac beate vivendi rationes, præ oculis semper haberent, & ad virtutis regulam proprios affectus exponentes, divinam quamdam in se ipsis exprimerent vivendi formam, omnibus suis numeris absolute probitatis, cæterarumque id genus Christianarum virtutum præbentes exempla.

Dies profecto me deficeret, si hic congerere, atque singillatim explicare vellem omnia purioris Moralis Christianæ principia, quæ Sancti Patres trium priorum Ecclesiæ sæculorum passim in suis Operibus docent, & ad illorum praxim singulos fideles vehementer adhortantur. Pauca ex multis in præsentia seligam, quæ tamen ad Moralis Christianæ commendationem abunde sufficere poterunt. In primis, antiqui Patres non solum animabant Fideles ad observationem præceptorum Decalogi, sed eorum etiam animos ad perfectiora adimplenda Christianæ Moralis documenta incendebant, videlicet ad peragendum Deo gratissimum cordis Sacrificium, ad dilectionem Dei super omnia, sine qua nemo, quantumcumque timore servili agatur, potest evadere justus: ad constantem omnium suppliciorum, quin & ipsius mortis tolerantiam, porius quam vel levissimam occasionem darent, qua Religionem coram tyrannis egerare, vel tantillum con-

Græves. Hist. Tom. I.

temnere viderentur. Illos insuper monebant hoc præcipuum esse Christiani officium, ut non putet se sibi natum esse, sibi que vivere velit, sed quidquid habet, aut est, Deo bonorum omnium auctori ferat acceptum, omniaque sua bona omnibus existimet esse communia; singulis ex animo bene velit, bene precetur, bene faciat, neque noceat commertis, sed proficit immerentibus; omnium commodis perinde ac suis adgratuletur, omnium incommodis, non secus quam suis, indoleat. Persuadebant divitibus, ut abhorrerent a spectaculis, a comædiis, ab insanis, & illicitis voluptatibus, quæ æternis cruciatibus luendæ sunt, & ut sola conscientia recti contenti, neque honores, neque opes, neque reliqua volubilis fortunæ commoda desiderarent, sed suas potius in pauperes opes profunderent, quæ alioqui sarcinæ sunt, quibus onusti divites nec possunt per arctam viam Christum nudum sequi, nec per ostium humile intrare in Regnum Cælorum. Hortabantur singulos Fideles, ut subvenirent oppressis, succurrerent pupillis, infirmos solarentur, egenos sublevarent, viduas protegerent, captivos propter Christum in carceribus detentos frequenter visitarent, Magistratibus, & Principibus subditi essent, & cum omnibus amore, mansuetudine, & beneficio certarent. Præcipiebant mulieribus, ut suos viros diligerent; viris, ut suis iridem uxoribus mutuum rependerent amorem; filiis, ut parentibus obedirent; parentibus vero, ut suorum filiorum vitis non indulgerent, sed eorum animis jam inde ab incunabulis optimas opiniones, & sanctissimas leges inderent, insculperentque, propterea quod nihil vel altius insider animo, vel hæret tenacius, quam quod rudibus inditur annis. Commendabant impense omnibus Pastoribus zelum, & charitatem erga Fideles, qui eorum curæ erant concrediti; ac vicissim singulis Fidelibus obedientiam, ac debitam erga suos Pastores reverentiam imperabant. Uno verbo, antiqui Patres perfectiores legis Evangelicæ regulas cunctis Christianis præscribebant, & ut ad illarum normam, vitam, moresque suos dirigerent, maximopere adnitebantur. Hinc est, quod hæc sanctissima Christianæ moralis Præcepta non in ore dumtaxat, vel in scriptis primorum Christianorum relucere, sed in eorum vita, & actionibus expressa amorem, ac venerationem omnium ipsis conciliarent.

D. Siste, precor, & ausculta tantisper difficultatem, quæ meum subiit animum. Dicebas modo, si bene memini, Doctrinam moralem nulla vicissitudine temporum, aut varietate locorum mutari unquam posse; & tamen dum confero Doctrinam moralem hujus ætatis Theologorum cum scriptis antiquorum Patrum, & mores horumæ temporum cum vita, & moribus primorum Christianorum, quos mox graphice descripsisti, longum, latumque discrimen invenio, facileque adducor, ut credam doctrinam moralem, quæ apud primos Christianos obtinebat, jampridem evanuisse. Proh dolor! pullulant quotidie, fungorum instar, moderni Casuistæ, qui

E

bo-

bonum dicunt malum & malum bonum; dulce faciunt amarum & amarum dulce; lumen faciunt tenebras & tenebras lucem; milleque distinctiones excogitant ad pulvillos consuetos sub cubitis hominum, & ad excusandas excusationes in peccatis. Qui potest tot inter corruptelas Ethica Christiana vitam puritatem conservare? Jam vero corruptissimos esse Christianorum mores, heu nimium! experimur. Quando enim vera probitas despectior? quando sic in pretio habitæ divitiarum undecumque partæ? quo unquam sæculo lux solutior? quando usuræ, simoniæ, supra, adulteria, ceteraque id genus crimina vel latius patuerunt, vel impunitiora fuerunt, vel minus in probro? non video igitur qua ratione dici possit, Moralem Christianam invariabilem esse, quæ tamen postremis hæc temporibus gravissimam cladem, & tantum non integrum exterminium passa videtur.

M. Tentarunt, sat scio, nihilque non moliti sunt moderni quidam Casuistæ, ut integritatem Moralem Christianæ, fluxis, & ad quam volueris partem flexilibus regulis, corrumperent; sed eorum conatus, artes, & machinæ ad nihilum reciderunt, & natalitius tenebris damnatis eorum libris, qui erroribus scatebant, Christianæ Moralem puritatem sartam tectam conservarunt Summi Pontifices, & Episcopi, præsertim Ecclesiæ Gallicanæ, quorum splendorem in illis, quas adversus serpentes istas laxitates vulgaverunt, censuris, doctrinam, vigorem, & eloquentiam tota posteritas mirabitur. Quod spectat mores Christianorum, fateor, multo majorem esse nunc turbam malorum, quam bonorum Christianorum,




ac subinde paucos esse Christianos, qui vivant juxta præcepta Moralem Evangelicæ, quæ tamen sancta, & integra, quasi liliam inter spinas æternam permanebit, non secus ac sanctitati, quæ veræ Ecclesiæ nota est, officere nunquam poterit flagitiosa multorum Christianorum vita? Tu igitur, charissime Discipule, noli unquam in malis conformari huic sæculo, sed reformare in novitate sensus tui, ut probes non quæ vulgo sequuntur homines, sed quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Periculo proximus es, planeque labascis, si circumspicere cœperis quid agant plerique, si captare quid sentiant. Tu, cum sis vitæ, ac lucis filius, sine ut mortui sepeliant mortuos suos, & cæci cæcorum duces simul in foveam abeant. Christus non dixit: *Ego sum consuetudo*, sed: *Ego sum veritas*. Cave ne unquam ab exemplari tuo Christo cordis oculos dimoveas. Non errabis, veritatis ductum sequens: non impinges in tenebris, post lumen ambulans: hoc prælucente, si fucata bona a veris, sanam, & genuinam doctrinam a falsa, & spuria seceveris, horrebis profecto, non imitaberis, nunquam sequeris cecitatem multitudinis, sed securus ac tutus purioris moralem Christianæ præcepta jugiter observabis. Ad hanc regulam si studia, & actus omnes tuos, ut par est, excusseris, nec a via recta aberrabis, neque rem ullam in vita aut facies, aut patieris, quæ non tibi vertatur in materiam pietatis. Hoc salutare consilium fac ut animo tuo penitus infigas, dum interim ipse Historiæ Ecclesiasticæ trium priorum sæculorum coronidem imponam.



# HISTORIA ECCLESIASTICA

## IV. Ecclesiæ Sæculi,

*Variis Colloquiis digesta.*



Historiam quarti Ecclesiæ sæculi sex Colloquiis absolvam. In primo, Statum Ecclesiæ exhibebo. In altero Schismata, & Hæreses, quæ in quarto sæculo in Ecclesia emerferunt, recensabo. In tertio, agam de Conciliis, quæ ad tollenda Schismata, confingendasque Hæreses eodem in sæculo variis locis celebrata sunt. Quartum erit de Viris illustribus, qui in quarto Ecclesiæ sæculo doctrina, vitæque sanctimonia floruerunt, ibidemque eorum genuina Opera a dubiis, & adulterinis accurato Criterio secernam. In quinto, describam seriem Episcoporum, qui hoc in sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes occuparunt. In postremo, perstringam Doctrinam, Disciplinam, & Moralem Christianorum quarti Ecclesiæ sæculi. His sex Colloquiis absolvam Historiam quarti sæculi, in quo Ecclesia, dira, si qua unquam fuit, persecutione, Diocletiana videlicet, & infestis Donatistarum, & Arianorum Hæresibus exagitata, novam sub Imperatoribus Constantino, & Theodosio faciem induit, ac maximum suscepit Disciplinæ suæ incrementum.